



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

18. Auctoritatibus sacrae Scriptorum in contrarium positae sit satis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

perfectissimo, & spiritali modo indifferens est, ut positus omnibus requisitis possit efficere, vel continere actum suum; aut vnum, vel alium elicere, ideo potens est quamvis sit indifferens in actu primo determinare se ad actum secundum, quo circa illa propositio potentia indifferens non potest ex se producere determinatum effectum, ut verbis praecisus respondeatur distinguenda est, est enim vera in causa indifferente ex imperfectione virtutis, vel ex defectu alicuius conditionis requisitae ad agendum, non autem in causa indifferente ex excellenti Dominio ex perfecta & eminente virtute, per quam habet veram, ac propriam potestatem dominatuum sui actus positus omnibus ad agendum requisitis.

477 Quae omnia confirmat Pater Suarez, tum aureis verbis, tum gemmeis rationibus; nam huiusmodi facultas, & modus agendi nec in se involuit repugnantiam; neque est cur requirat infinitam perfectionem, aut virtutem: ergo non est cur negemus convenire voluntati, quae domina est sui actus. Prior pars antecedentis satis probata est ex dictis, & ex illo exemplo Divinae voluntatis, & ex re ipsa, quia esse indifferenter in actu primo, & determinari per actum secundum non involuit repugnantiam, quia unus actus non includit necessario negationem alterius, sicut materiam primam esse indifferenter in potentia passiva, & actuari, seu determinari per vnum actum formalem non est repugnans sed potius consequens, & consentaneum; sic ergo voluntatem esse actiue, & perfecte indifferenter, & se se explicare in vnum actum, & per illum determinari tam agendo, quam recipiendo illum nihil inuoluit in se repugnans, sed potius est maxime consequens & consentaneum.

478 Posterior vero pars antecedentis probatur, quia huiusmodi virtus actiua sic operans, & se determinans potest esse participata à superiori virtute, & ab illius influxu pendens tam in suo esse, quam in actione sua: ergo absque infinita perfectione potest habere praedictum agendi modum, quia nulla est causa ob quam infinitas requiratur, Deus enim non solum est liber; sed etiam per se, & essentialiter liber vsum libertatis habet non solum absque dependentia ab alio, sed etiam absque vlla potentialitate, compositione, aut imperfectione, & ideo infinitam perfectionem ad illum modum libertatis requirit, quae propterea secundum illum modum nulli creaturae communicabilis est, participatio autem eius libertatis, & indifferenter cum vero Dominio sui actus communicari potest creaturae absque infinita imperfectione: sic ergo potentiam ex se indifferenter vnum actum determinate efficere potius, quam alium non ex determinatione alterius, sed sua sponte, & intrinseca vi, quamvis non sine concursu alterius non requirit infinitam perfectionem.

479 Quapropter non sequitur voluntatem liberam sic operantem esse primum liberum, nisi in hac voce sit magna equivoctio: nam primum liberum, proprie dicitur quod est per essentiam liberum, vel quod libertatem habet prorsus ab alio independentem; neutrum autem horum convenit voluntati creaturae, cum non habeat libertatem, nisi participatam à libertate Dei, & ab eadem in suis determinationibus pendente; si autem primum liberum dicatur illud agens à quo in suo genere. Primo est determinatio libera, sic veram est omnem voluntatem liberam posse in suo genere dici primam radicem suae determina-

tionis, quia scilicet sine illa fieri non potest nec aliter quam ex intrinseca, & libera applicatione eius; sed haec est improprissima acceptio huius vocis, & ideo illa vitandum non est, nec voluntati creaturae attribuenda. An vero hic modus operandi satis sit ut voluntas creatura dicatur primum initium suae determinationis, in alio loco late agemus; nam in quibusdam actibus voluntatis, scilicet in malis possumus simpliciter ita loqui, in bonis autem praesertim supernaturalibus, non item, quia licet in tali determinatione libera voluntas suas partes habeat, tamen primum initium eius non est ab ipsa, sed ex Deo quia eam preparat, & adiuuat, ut se determinet, quo fit, ut loquendo de ipsa intrinseca determinatione voluntatis non ideo voluntas velit, quia aliunde est determinata, sed potius ideo velit, quia se ipsam determinat, ita tamen ut in ea causali nota indicetur causa formalis non efficiens. Nam in genere efficientis nihil aliud est voluntatem determinari, quam efficere volitionem, vel nolitionem, in genere autem causae formalis determinata manet, quia manet affecta hac volitione potius, quam alia, & ita in hoc sensu non est repugnantia in illa loquutione, scilicet voluntas determinatur, quia vult, quamvis non determinetur, nisi volendo, quia ibi non importatur causa efficiens, sed formalis; propriissime autem, & sine vlla equivoctatione dicitur voluntas se se determinare volendo, & velle sese determinando. Ex quo satisfactum est ultimae confirmationi obiectionis propositae, satisque probatum relinquitur voluntatem ob suam indifferenteriam, non indigere speciali determinatione extrinseca proveniente, imo ideo illam non postulare quia indifferens est indifferenteria dominij.

Deinde conitit ex dictis, quo sensu verum sit eandem potentiam non posse esse indifferenter, & determinatam, est enim hoc verum si in eodem genere sermo sit, non autem in diversis: itaque si potentia sit ab intrinseco indifferens actiue seu ad agendum, ut est voluntas non potest in sua virtute actiua habere determinationem, in actu primo, poterit vero formaliter determinari per actum secundum, & quando est determinata in actu secundo non potest simul esse indifferens, quoad eundem statum, licet suam facultatem indifferenter retineat.

SUBSECTIO XVIII.

Authoritatibus sacrae Scripturae in contrarium positis fit satis.

Ad loca Scripturae optime respondet P. Suarez 482
Auris verbis, illa & similia testimonia nihil ad causam praesentem conferre. Primo quidem quia in eis non est sermo de generali motione, seu concursu causae primae, nec de physico influxu eius simpliciter necessario ad actum nostrae voluntatis, alioqui ex vi illorum testimoniorum dicendum esset Deum immutare corda Principum, etiam quando conestantur ad creaturas, & dirigere gressus eorum, etiam quando pravi sunt, quae quam sint falsa, & absurda in secundo libro ostendemus.

Secundo dicitur in his testimonijs nullam esse 482
verbum de physica praedeterminatione voluntatis, sed de directione eius in verbis Ieremiae, de inclinatione in verbis Salomonis, & de immutatione cordis apud Iob; longe autem est aliud dirigere & inclinare, quam physice praedeterminare, ut

ut per se notum est. Immutatio etiam fieri potest morali modo, inspirationibus, consiliis, aliisque cogitationibus ut latius *lib. 3.* explicando gratiam excitantem dicturi sumus, ubi etiam ostendimus hanc immutationem esse posse moraliter effici acem ex se, vel etiam prorsus infallibilem ex præscientia Dei absque physica prædeterminatione. Quod autem potest Deus facere in supernaturali ordine per excitationem gratiæ, potest etiam facere in actibus moralibus, & politicis per cogitationes, & motiones proportionatas, ut per se evidens est, & hoc est quod potissimum docetur in illis locis.

483 Vnde animadverto tertio in citatis testimonijs non dici illam motionem Dei esse necessariam ad singulos actus humanos, aut ex vi subordinationis, & dependentiæ causæ secundæ à prima, sed dici solum quid Deus possit, & quid etiam agere soleat ex sua ineffabili providentia, vel positive operando, vel etiam permittendo quando vel ad quorundam salutem, vel ad aliorum supplicium id indicat expedire. Quod maxime verum est in duobus primis testimonijs Iob & Prover. nam in loco Ieremiæ sermo est de operibus gratiæ, & de via salutis æternæ, ad quam divina directio, & gubernatio est simpliciter necessaria, non ex generali ratione causæ primæ, sed ex speciali difficultate illius viæ, & excellentia supernaturalium actuum; vnde in eodem loco Ieremiæ statim subditur. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, ut ponderavit, & exposuit August. *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 17.* & significavit Hieronimus in *comm. Ierem.*

484 Ad alia autem loca, quæ in eodem §. in fine illius adducuntur, Respondeo primo in genere omnia similia loca esse de permissione Divina intelligenda, Chrysost. *hom. 36. in Matth. non longe ab initio.* Quamquam non ipse, sed hominum improbitas horum omnium causa futura esset, se tamen facturum omnia dicit; talis quippe est scripturarum consuetudo. Augustin. *de grat. & lib. arbit. 23.* quando auditis dicentem Dominum ego seduxi, & quem vult indurat in eo quem seduci, vel obdurari permittit mala eius merita credite. Damasc. *lib. 4. cap. 20.* scire illud attineo in Scripturæ more positum esse, ut Dei permissionem, actionem ipsius appeller, idem fere Prosper ad capitula Gallor. *cap. 11. & 12.* Ratio item hoc demonstrat ex generali regula interpretandi scripturam sumpta, quandocunque enim ex sensu verborum omnino proprio, & quasi materiali sequitur absurdum aliquod pietati; aut alijs locis eiusdem Scripturæ contrarium, tunc est signum evidens in verbis illis latere aliquam metaphoram, vel mysterium: sic ergo in prædictis locis necessarium est verbum illud agendi, seducendi, indurandi, & similia cum aliqua improprietate, & metaphora interpretari, quæ non potest esse alia, nisi quod Deo tribuitur tanquam operanti id quod solum permittit.

485 Ratio autem ob quam Spiritus Sanctus voluit ea metaphora, & loquendi modo uti, esse potest multiplex. Prima ad terrendos homines, nam licet Deus hæc positive non operetur, tamen ob eius infinitam præscientiam conditionalem actuum omnium, quos singuli homines in omnibus eventibus operaturi sunt, si in eis constituentur ob hæc (inquam) præscientiam tam infallibiliter sequitur quod permittit fieri, sicut id quod efficit, & præordinat; vnde quod ad hominem spectat, non minus malum ei provenit divina posita per-

missione, quam si positiva esset ordinatio, & efficacia Dei; ut ergo homines Divinam permissionem timeant permouendum effectum proponitur quod est tantum permittit.

Secunda ratio per hoc genus loquendi significatur, quamvis peccatum non sit à Deo, tamen effectum peccati esse ab ipso intentum, & sæpe præordinatum, vel in penam peccatum, vel in alium finem bonum; sic Assur. v.g. dicitur virga furoris Dei, quia licet Assur peccasset affligendo populum Dei, tamen Deus illud peccatum permittit in penam sui populi, cuius afflictionem, & passionem, quæ bona erat Deus volebat, licet peccatum non vellet, sed permittere tantum. Tertia ratio est specialis in aliquibus peccatis ad denotandum non ex sola generali providentia, sed aliquo speciali Dei consilio & ratione permitti, aliquando enim Deus præter generalem concursum causæ primæ aliquid speciali, & proprio, ac peculiari consilio vult, ex quo certo scit fore, vel homo peccet ratione cuius talis permittit specialis dicitur, & illis loquutionibus explicari solet etiam nostro loquendi more. Id autem, quod Deus hoc modo vult interdum est aliquid negativum, interdum aliquid positivum.

Negativum est cum Deus prævidens fore, ut si hominem non corrigit, vel aliqua correptione affligat lapsurus sit in plura peccata, nihilominus peculiari consilio, & inscrutabili iudicio castigationem remouet, hominemque desiderijs suis tradit, hoc modo dicitur pater perdere filium, Magister discipulum, & Pedagogus alumnum; vnde *Eccles. 30.* Tunc latera filij tui ne forte induret: hunc modum attigit Orig. 3. *Periarch. c. 11.* & explicatur optime *Psalm. 72.* in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia. Deinde potest etiam esse hæc permittit, quando Deus iusto iudicio negat auxilium aliquod speciale ad vitandam culpam, quod licet non sit simpliciter necessarium, est autem moraliter necessarium, aut fere, quia considerata hominis dispositione & occasione, difficillimum est vitare culpam, nisi Deus peculiari modo adiuvet, quod tamen facere non tenetur, & ideo interdum iusto iudicio illi negat, quomodo inter homines, neque ei subvenit dicitur in manibus hostium, neque ei subvenit dicitur eum tradere, licet positive non adiuvet, quo exemplo utitur Chrysost. *hom. 3. in epistola ad Roman.* exponens verba illa; tradidit eos Deus, &c.

Positivum autem aliquid facit Deus quando non solum homini malum non infert, sed etiam beneficia confert prævidens fore, ut illi sint in scandalum, & ruinam, quod non solum de temporalibus bonis, sed etiam de spiritualibus verum est, interdum enim mittit Deus prædicatorem ad eum, quem præscit non fore corrigendum, sed obdurandum potius; sic etiam fecit miracula, & signa coram Pharaone præsciens illum fuisse obstinatorem reddendum, in quo exemplo fortasse uterque modus concurrit, nimirum, & positiva signorum operatio, & denegatio abundantis auxilij, illi homini necessarij, vel ex se moraliter loquendo, vel iuxta præscientiam Dei, aliquando etiam Deus aliquid præcipit fieri, quod sit peccatum homini occasione ruinæ; sic præcepit filiis Israël, ut ab Aegyptiis peterent vasa aurea, & argentea, & hac occasione dicitur convertisse eorda eorum, ut odirent populum suum, non

non in eis odium operando: sed aliquid ordinando, ex quo illi erant in odium excitandi, & conuertendi. Aliquando etiam Deus liberat facit homini, vel Demoni facultatem malum aliquid faciendi, & ideo solet nomine actionis, vel praecepti significari, ut Damas, supra aduertit, ut cum Christus dixit Iudae, quod facis fac citius, si formam verborum spectemus videtur esse praeceptum, fuit tamen permissio, & offensio animi paratissimi ad moriendum, ut notauit Leo Papa *Serm. 7. de pass.* ac si diceret, ego libenter tradar Iudaeis, & quam citissime pro hominibus moriar, tu fac quod libuerit, sic *Matth. 23.* implete mensuram Patrum vestrorum *Iohan. 3.* soluite templum hoc, & *Iob 1.* ait Dominus demoni, Ecce vniuersa, quae habent in manu tua sunt, quae sunt verba solius permissionis, & tamen *c. 2.* ait Dominus ad Daemonem, tu autem commouisti me, ut affligerem eum frustra.

488 Ultimo est in his omnibus obseruandum quod licet Deus faciat aliquid, vel facere committat cum certa praeuisione futuri peccati, tamen nec ipsa intendit per se directe peccatum, neque etiam indirecte potest ei peccatum imputari, non quidem illud per se intendit, quia malum est alienum a diuina bonitate, quod non solum de formali, sed etiam de actu ipso peccati verum est, ut latius dicam in sequenti capite, quia ille actus ratione malitiae quam habet adiunctam, & inseparabilem est prauum, & indignum obiectum, ut in diuinam intentionem, & voluntatem directe cadat. Neque etiam indirecte ei imputari potest, quia non tenetur, vel id facere quod committit, vel id committere quod operatur, ne peccatum quod praeuidetur futurum inde sequatur, ut autem ex principis moralibus constat effectus per accidens sequens ex actione, vel commissione, alicuius non imputatur ei, nisi intercedat obligatio cauendi vnum, ne aliud sequatur: Quo fit, ut huiusmodi peccata non possint Deo vere, ac proprie attribui; si ergo interdum in verborum specie Deo attribui videntur, vel est metaphorica locutio ut dixi, ad mysterium aliquod significandum, praesertim ad indicandam diuinam iram, & animaduersionem, a qua talis permissio procedit, vel certe non intelligitur de ipso peccato, sed de aliquo bono effectu quem Deus intendit per talis peccati permissionem, sic enim dixit Augustinus, *Enchirid. c. 100.* Nec sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens etiam de malis facere posset bene.

489 Ex his facile est ad singula testimonia Scripturae respondere. Secundo itaque *Reg. 16.* David permissionem factam Semei, ut ipsum malediceret praeceptum appellauit, non proprie, sed translate, ut Augustinus dicitur *de Grat. & lib. arb. c. 20.* cognoscebat enim David ex speciali Dei ordinatione iduissse permissum in penam sui delicti, & exercitium patientiae suae, illam ergo, quae respectu Semei erat permissio, respectu sui aestimauit praeceptum, similiter *2. Reg. 24.* verbum illud commouit permissione exponendum est, id est, in supplicium populi permississe Deum, ut David commoueretur vano, & superbo affectu ad numerandum populum. Similiter explicanda sunt illa verba *Psal. 104.* Declinasti semitas nostras, id est, permisisti & sciuisti nos declinare; idem denique est sensus ceterorum verborum indurandi, excrucandi, quae ita esse intelligenda in aliis Scripturae locis satis explicatur *Serm. 5.* Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisisti eos, & reuerunt accipere disciplinam indurauerunt facies suas, & noluerunt reuerti, unde *Psal. 91.* Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare

I. P. Tom. II.

corda vestra, & *Rom. 2.* Tu autem secundum duritiam tuam, &c. ita late Aug. *lib. 1. q. ad simp. q. 2.* D. Th. *ad Rom. 9. scilicet. 3.* unde recte dixit Augustinus *lib. 1. c. 18. de Grat. & lib. arb.* Non utique violentia compellentis, sed clementia relaxantis obdurationis occasio est.

Ad alias generales locutiones Scripturae respondetur esse, vel iuxta subiectam materiam, vel cum distributione accommodata intelligenda in *c. ergo 12.* *1. Cor.* aperte est sermo de operibus gratiae. Diuisiones (ait) gratiarum sunt, idem autem spiritus diuisiones operationum sunt, idem vero dominus quia operatur omnia in omnibus extendendo vero illa verba ad omnia, quae simpliciter sunt, verum est Deum omnia operari, vel specialiter, vel generaliter ad ea concurrendo ad vnuquodque; quatenus ens est, & ita etiam operatur entitate actus peccati concurrendo ad illa, non tamen praedeterminando, eodem modo exponuntur verba *Rom. 11.* ex quo omnia. Locus autem Hieronimi non est contra nos aperte enim ibi est sermo de via motum, quam non potest homo facere rectam, nisi a Deo dirigatur & hoc modo dicitur non esse in homine, ut ibidem statim declaratur. Locum autem *ad Ephes. 1.* ibidem optime exponit per distributionem accommodatam Hieronimus, dicens. Non quo omnia, quae in mundo fiunt, Dei voluntate, & consilio peragantur, alioqui & mala Deo poterunt imputari, sed quo vniuersa quae facit, consilio facit, ac voluntate; si ergo peccatum voluntate etiam, & consilio permittit, & ad actum peccati voluntate, & consilio concurrit, quomodo etiam Augustinus in *Enchirid. cap. 100.* ait peccatum ipsum quod est contra Dei voluntatem non est praeter Dei voluntatem.

Ad locum Pauli *Ex epist. ad Philip.* Respondeo, 491 quia hoc testimonium sapientissime, tanquam palmarium in *disp. de Grat. efficaci*, adfertur, tum ab haereticis ad probandum gratiam ita omnia facere ut ei non libere cooperemur, ut patet apud Caluin. *lib. 2. inst. c. 2. in fine & c. 3. n. 6. & n. 11. c. 5. n. 11. & lib. 3. c. 2. n. 23. & c. 11. n. 12.* cuius verba prolixitatis vitandae causa committo. Tum a quibusdam catholicis ad probandam gratiam praedeterminantem; (quae quomodo ab illa re ipsa differat nunquam, cogitatione assequitur ostendam hunc locum eorum sententiae aduersari potius, quam suffragari, Apostolus eo loco hortatur Philippenses ad humilitatem, & obedientiam. Primo exemplo Christi, cum ait, hoc enim sentite in vobis, &c. ubi Christi humilitatem & obedientiam ponit ob oculos, ut ipsi eodem affectu s, & sensu induant, unde concludit. Itaque fratres mei, sicut semper obedistis, non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu, & tremore vestram salutem operamini, quasi dicat si Christus se humiliavit & obediens fuit usque ad mortem, & vos debetis obedire Deo, Praepositisque vestris operando salutem vestram, idque non cum praesumptione, & iactantia praeferendo vos alijs, vel existimando vos esse aliquid, sed cum timore & tremore, sicut Christus cum humilitate, & reuerentia Patri obediens fuit.

Deinde subdit alteram rationem, Deus enim 492 est, qui in vobis &c. quasi dicat debetis cum timore, & tremore salutem vestram operari quia non vestris viribus, eam potestis operari, sed Deus est qui illam operatur, nempe ut causa principalis, vires assidue suppeditans, & inspirans; itaque ne Deus suo auxilio vos de-

Q 99 seraz

betis cum timore, & tremore illam operari, hoc si feceritis, ipse quoque operabitur perficere; id est perseverantiam sicut operatus est velle, id est, propositum bonæ vitæ, hoc est quod alibi dicit; qui capit bonum opus, ipse perficiet. Hinc sequitur esse in potestate illorum facere ut Deus in ipsis operetur perficere, & consequenter non requiri motiones prædeterminantes, hæ enim nullo modo sunt in nostra potestate, ut supra ostensum est, si enim Deus eas mihi præparavit, non est quod multum timeam, aut sollicitus sim. Deus sollicitus erit, ut decretum suum impleat, mihi que eas suis temporibus inferat; si vero non præparavit, non potero eas mihi arcescere: quid ergo mihi proderit timor, & anxietas? Denique est in potestate nostra operari nostram salutem, & non operari, unde Apostolus hortatur nos ut eam operemur: ergo ad singula opera non requiritur illud auxilium prædeterminans, quod non est in potestate cuiusque habere, vel non habere, & dum habetur non potest homo operari. Ex quibus constat, vel ex hoc loco, quo maxime, fulcire conantur gratiam prædeterminantem eam everti.

493 Similis plane est locus ille Concilij Tridentini, (utpote ex verbis Apostoli desumptus,) *sessio. capite decimotercio*. Nemo sibi certi aliquid absolute certitudine polliceatur tamen in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debeant, Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere, veritatem, quam diximus, declarat, quid enim aliud est gratiæ non deesse quam salutem suam cum metu, & tremore operari? Porro dicitur Deus operari in nobis velle, (id est, propositum bonæ vitæ, quod concipit homo dum iustificatur,) quia dat vires ad illud concipiendum, suadet, & allicit ad illud, & cum illud concipimus per dona sua cooperatur vobiscum; deinde quia infundit virtutem charitatis, per quam illud velle cessante actu in nobis perseveret habitu perficere operatur, partim per dona habitualia, quæ cum dedit velle infudit, partim per quotidiana auxilia, quæ largitur, per hæc enim iuncta ipsius protectione accipit homo potestatem perseverandi, & perficit id quod in prima iustificatione proposuerat, nempe custodiam mandatorum usque in finem. Hæc tamen omnia dona, & auxilia talia sunt, ut in singulis operibus prius natura quam eis vitæmur possimus non uti, non acquiescere, & resistere.

494 Dices, quare Deus dicitur operari potius velle, & perficere, quam homo cum homo sit qui libere hos actus elicit? Respondeo etiam homo dicitur hæc operari, dicitur enim homo seipsum convertere *Joël 2.* sibi facere cor novum *Ezechielis 18.* se mundare à peccatis *2. ad Thimoteum 2.* perseverare in finem & similia peculiari tamen modo hæc tribuuntur Deo, tum quia deus hominem ad hæc excitat, & sollicitat antequam ipse de illis cogitet, tum quia ad hæc vires præbet, sine quibus homo non potest in his quidquam; is autem qui vires ad aliquid præbet, quibus id conficiatur peculiari modo tanquam auctor principalis dicitur esse causa rei, eamque operari, & conficere, sic Regem dicimus expugnasse urbem, consequutum victoriam, subiugasse nova regna, quia

militem, & sumptus suis ducibus suppeditavit, sic *Matth. 10.* dicitur non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, nempe quia non sapientia, & industria humana loquebantur, sed dono Spiritus sancti, qui omnia opportuna suggererat, hic tamen spiritus quo ad usum doni illius erat illis subiectus iuxta illud Apostoli *1. Cor. 14.* Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt, itaque non determinabat eos ad loquendum, simile quoque est illud *1. Cor. 15.* plus omnibus laboravi, non ego sed gratia Dei mecum, vel ut Græca habent, *ὁ θεὸς ἁρτῶν ἔσται μετὰ ἐμοῦ*, id est, non ego sed gratia Dei, quæ mecum est, de qua ante dixerat, gratia Dei sum id quod sum, dicit gratiam laboralem, quia ipse per vires gratiæ laborem præstitit, unde Hieronymus, *Dial. 1. contra Pelagianos* dicit, inquit se plus omnibus laborasse, statimque laborem suum ad Dei refert auxilium, Non ego inquit, sed gratia Dei, quæ mecum est.

Ad locum ex *Cant. 1.* in hunc modum respondit 495 deo, si tantum illi trahuntur, qui efficaci motione præparantur: ergo nemo trahitur à deo, nisi qui sequitur, & consentit, atqui nemo sine tractu Dei potest sequi iuxta illud Domini *Joan. 6.* Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum; ergo nemo potest consentire deo, nisi qui consentit, consequens est contra sanam Doctrinam: ergo & antecedens. Deinde quomodo libera voluntate sequimur si tractati illi non possumus resistere? quomodo libera voluntate sequimur cum ipse prius natura operetur, & influat in nostrum consensum, quam nostra voluntas in eundem influat itaque liberum hic, & alibi, vel idem valet quod libens & libertas, quod libentia, vel est sine mente sonus. Nec obstat locus ille Cantici, Ecclesia enim desiderans imitari Christum flagitat gratiam, ut id possit perficere & recte Haymo, & alij, itaque tractum petit quo præstentur vires exequendi sui propositi, ex tali tractu sequitur curius, quia desiderium currendi iam supponitur. Potest etiam dici non esse necesse ut omnes in particulari curant, Ecclesia enim cum sit unum corpus politicum, ut ipsa dicatur imitari Christum, sufficit ut perfectiores in ipsa id præstent, sic ad *Ephes. 5.* Christus dicitur Ecclesiam suam mundare lavacro aquæ, cum tamen non omnes mundenntur, baptizantur, & apud *Ezech. capite 36.* effundam super vos aquam mundam, & mundabimini, &c. tamen non omnes mundenntur super quos hæc aqua effunditur, solum enim significatur huiusmodi locutionibus rem habere eam vim, ut omnes per eam sint sanctificandi, si per ipsos non steterit; si gratiæ divinæ non defuerint, & plurimos non defuturos re ipsa. Simili modo illis verbis; Trahe me, &c. significatur plurimos per illum tractum imituros Christum, & omnes per illum posse si velint. Posset etiam exponi de tractu, quem vocant congruum, sed non videtur ad mentem Scripturæ, neque ex eo, quod gratia dicitur non prædeterminare voluntatem, scitia dicitur non Deum bene operando prævenire, aut quod nos Deum bene operando prævenire, aut nos Deum proprie trahere ad operandum, non ab eo trahi; nam bene operari non possumus nisi à deo præveniti, id est, attracti, & allecti divina inspiratione, quia voluntas nostra præparetur, ut iam bonum opus sit in ipsius potestate, sed neque voluntas sic præparata prævenit Deum in efficiendo opere bono, quia non nisi per vires gratiæ illud efficere potest. Ffatemur tamen liberum arbitrii directæ esse causam

causam, cur hic & nunc Deus influat opus, tum per dona sua, tum per se ipsum, non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hic, & nunc influat. Non enim ideo hic, & nunc fit hoc opus, quia Deus absolute vult illud hic, & nunc fieri, aut gratia ex se determinat voluntatem, ut hic, & nunc illud faciat: sed quia voluntas diuinitus preparata vult hic, & nunc illud facere, non tamen solis naturae viribus liberum arbitrium est illius causa, sed una cum viribus gratiae, sicut vicissim gratia est causa cur opus sit supernaturale fuisse ostensum est. Hinc tamen non sequitur nos proprie trahere Deum ad operandum, quia Deus nos ante traxit quamuis id sensu quodam admitti possit, quatenus liberum arbitrium est causa cur hic, & nunc Deus influat in opus, ut dictum est. Vnde Gregor. Arimin. dicit Deum sequi determinationem voluntatis. Ad alium locum Pauli patet ex dictis supra §. Superiori.

SUBSECTIO XIX.

Loca Augustini explicantur.

496 **A**D Augustinum priusquam respondeam suppono certum esse eum nunquam sensisse Deum directe, & proprie inclinare voluntatem ad malum actum, sicut de Iudeis ipse ait *trist. 53. in Ioan.* fecerunt peccatum quod eos non compulsi facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse praesciuit, similem Doctrinam frequenter repetit Augustinus, semperque exponit similes locutiones sacrae Scripturae de permissione ut videre licet *epist. 105. & 106. & de praedest. & grat. cap. 4. & seq. ad Simplic. quaest. 2. ad artic. sibi falso impositos saepe*, ubi notatu dignum est, nec Augustinum, nec Prosperum respondendo ad obiectiones dixisse Deum esse autorem peccati pro materiali, non pro formali, sed simpliciter negasse à Deo nos moueri ad malas voluntates, vel actiones: in locis ergo in obiectione citatis nihil habet Augustinus huius doctrinae contrarium, sed in primo loco merito distinguit inter patientiam, & potentiam Dei; nam Paulus, quem ipse citat illa distinguit, sensus autem distinctionis est, quod Deus quosdam expectat per patientiam tantum, ut eorum misereatur, alios deserit etiam per potentiam, quia supposita eorum malitia, vult eos acriter punire; itaque per patientiam expectare Deum, nihil aliud est, quam non statim punire, quod praecise sumptum potius est opus misericordiae quam iustitiae, iuxta illud: ignorans quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit, vnde hoc modo per patientiam expectare non est desistere, nam proprie desistere est opus iustitiae; vnde constat quid sit per potentiam tradere hominem desideriis suis, est enim illum desistere, hoc autem non est per potentiam inclinare voluntatem hominis ad malum actum; sed est Deum potentia sua hominem accerrime punire, primum non agendo sed relinquendo, & postea efficiendo ut homo suam propriam voluntatem implens ea maxime torqueatur, quod est signum maxime potentiae Dei, & ideo dicitur in hoc potentiam suam manifestare deserendo hominem, & vitiis ac desideriis suis illum tradendo, ut tandem in illo diuina ira, & iusti-

I. P. Tom. II.

tia manifestetur, iuxta illud in hoc ipsum excitauit te, ut ostendam in te virtutem meam; & illud, quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam. Rursus quod Augustinus ait, vel deserendo, vel alio quouis modo, ideo dixit, quia ut declarauit, Deus non solum non agendo, sed etiam aliquid exterius, vel interius operando id facit, vel offert homini, quod illi est occasio ruinae, quam licet Deus non intendat, nec ad illam directe inclinet, tamen admirabili potentia, & iudicio occultissimo vititur, dum id operatur in homine, & in corde etiam hominis, quod licet de se bonum, & sanctum sit, & ad id, quod honestum est inclinans, tamen ipsi homini futurum est in scandalum, & occasionem ruinae, ita exponit Divus Thom. *lect. 3. ad Rom. 9.*

Ad alium locum Augustini primum responderi 497 potest eodem modo ex generalibus principiis positis, sed ut clarius in speciemens August. intelligatur, aduertendum est in principio capitis, in particulari loqui de voluntatibus Angelicis, has enim videtur intelligere cum ait: verum etiam cas, scilicet voluntates, quae conseruant seculi creaturam, quamuis extendi id possit ad quascumque voluntates Principum, & Potentium, has ergo voluntates ait Augustinus inclinare Deum, vel ad beneficia praestanda, vel ad poenas ingerendas, utrumque autem fieri potest sine malitia voluntatis, & ita ex hoc capite non sequitur inclinare Deum voluntatem ad actum malum.

Quia vero interdum punit Deus quosdam per 498 malas voluntates aliorum, addit Augustinus mirabilem quendam modum dicens: interdum Deum voluntatem iam vitio suo malam inclinare in hoc peccatum potius, quam in aliud, ut talem hominem puniat, vel affligat, vel interdum etiam, ut à tanto malo eum liberet, vel alios fines providentiae suae, v. g. cum Dæmon paratissimus sit ad tentandos, vel affligendos homines, inclinat eum Deus, ut hunc potius, quam illum affligat, & de Semel ait Aug. fuisse hoc modo inclinatam à Deo ad maledicendum David, quia iam suo arbitrio odium David conceperat, & voluntatem ei nocendi habebat, optimum exemplum est in fratribus Ioseph, qui iam decreuerant eum interficere, Ruben eis persuasit, ut non effunderent eius sanguinem, sed in cisternam viuum immitterent, & postea transeuntibus Madianitis, Iudas fratres induxit ut eum venderent potius, quam ibi mori fierent; Haec ergo inclinatio illarum voluntatum in tale obiectum recte potuit esse ex speciali Dei providentia, & excitatione, de qua Augustinus loquitur, non de praedeterminatione physica, & ratio est, quia hoc modo voluntatem iam per se malam ex suo libero decreto inclinare ad hoc, vel illud obiectum, non est per se malum, imo potest esse honestum si ad minus malum inclinatur, ut in exemplo dato apparet, vel interdum etiam satis erit, ut malum sit eiusdem rationis, & gravitatis, solumque materialiter diuersum, ut si voluntas Principis decreuit inferre bellum, & depraedari quicquam possit, non est malum inclinare illam ad hanc gentem potius, quam ad illam, etiam si in eo non cernatur minus malum, satis enim est quod non cernatur maius, in his ergo casibus potest Deus iuxta infinitam suam sapientiam & iustitiam inclinare voluntates, vel directe interius consulendo per Angelos bonos hoc potius quam illud opus eligere, vel per Angelos malos eis facultatem praebendo limitatam, & definitam ad talem personam, vel actionem quomodo legimus se gessisse cum Dauid *Iob. 1.* ut notavit etiam Aug. *lib. 1. ad Sim-*

QQ 9 2 plie.